DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE
EXPOSITIONE INFANTUM
QUAM
ANNUENTE
DEO TER OPT. MAX.
INDULTU

MAGNIFICI
ICTORUM ORDINIS
IN
INCLUTA UNIVERSITATE NORICORUM
ALTORFINA
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE IURE
HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME CONSEQUENDI
PUBLICAE AC SOLENNI DISQUISITIONI
SUBMITTET
AD D. IV. APRIL. A. O. R. MDCCXXVII.
MATTHAEUS MULLER
NORIMBERGENSIS.

TYPIS IOD. GUIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

Lactantius Lib. VI. Diuin. Instit. Cap. XX.

QVid illi quos falſa pietas cogit exponere? Non poſſunt innocentes exiſtimari, qui viſcera ſua in prædam canibus objiciunt, & quantum in ipſis eſt, crudelius necant, quam ſi ſtrangulaſſent. Quis dubitet, quin impius ſit, qui alienæ miſericordiæ locum non tribuit? Qui etiam ſi contingat ei, quod voluit, ut alatur, addixit certe ſanguinem ſuum vel ad ſervitutem, vel ad lupanar. Quæ autem poſſint, vel ſoleant accidere in utroque ſexu, vel per errorem, quis non intelligit, quis ignorat? Quod vel unius Oedipodis declarat exemplum, duplici ſcelere confuſum. Tam igitur nefarium eſt exponere, quam necare.

Q.B.

Q. B. F. F. F. Q. S.

D*Eliberanti mihi de argumento quodam, Dissertatione inaugurali, more usitato, proponendo, & quantum instituti ratio permitteret, brevibus deducendo, nihil prius visum est, quam si operam impenderem tractandæ ejusmodi materiæ, quæ vel ob frequentem in quotidiana vita usum ulteriori inquisitione opus habet. Hæc dum volverem, sua mihi se utilitate probabat ea, quam paucis his Capitibus* de Expositione Infantum *persequi est animus* *, *quamque Viri magni ingenii & singularis eruditionis* Amplissimus Cornelius van Bynkerrhoek & B. Gerhardus Nood *non ita pridem, de qua controverterent, ingenio dignam judicarunt, quorum vestigia lustro, & quantum fieri potest, plus ultra contendere allaborabo.* Deum ter Optimum terque Maximum *veneror, qui divina ope conatus adjuvet secundetque.*

---

* Hac super materia *duæ Dissertationes* in conspectum meum venerunt, harum altera habita sub *Præsidio Dn. Joachim. Christophor. Stisser. Helmstadl.* cIↃ IↃC LXXVII. altera *Præside Dn. August. Benedict. Carpzov. Lipsiæ.* cIↃ IↃC LXXVII.

CAPVT I.

De Expositione Infantum in genere.

I.


Apientia divina jus naturale, quantum ad conjunctionem viri & mulieris, lege positiva muniens, primo benedicto, verbis: *Crescite, & multiplicamini*, saluberrime generi humano prospexit, ut homines intelligerent, se a Creatoris voluntate non aberrare, si dictamen rectæ rationis sequerentur, & consortium naturale, liberorum procreandorum gratia, inirent. *a*)

II.

Præcipua ergo cura sit humani generis seminarium hoc ingredientibus, ut sibi simile procreent, eoque ipso finem primarium a Deo consuetudini conjugali præscriptum omnibus modis obtinere studeant. *b*)

III.

---

a) Num hæc verba *Genes. Cap. I. versic.* 28. a Deo prolata, verba sint saltem benedicentis, an vero simul imperantis, adeoque conjugium sit præceptum, controvertitur. *Vid.* Bechman. *Medit. Polit. Cap. VII. §. I.* Nos utrumque credimus, hac tamen quantum ad præceptum limitatione, quod hoc non simpliciter singulos, sed communitatem hominum, inque ea illos, qui natura sunt habiles, neque rationes, cur cœlibatum eligant, habent, maxime stringat. Conf. Pufendorf. *J. N. & G. Lib. VI. Cap. I. §. VII.*

b) Finis matrimonii primarius est sobolis procreatio, ex quo omnes reliqui fluunt, & præcipue mutuum adjutorium in rebus domesticis, quod statui post lapsum non repugnat, quamvis ex Entis perfectissimæ *Genes. Cap. II. versic.* 18. verbis prolatis:

Facia-

III.

Fine isto per matrimonium obtento, sobolis scilicet procreatione, alius se offert, cura partui in lucem dato de victu & amictu prospiciendi, ejusque educationem in se suscipiendi, cum is, tanquam animal miserrimum, injuriis omnium expositus, aliorumque auxilio destitutus, sui impotens deprehendatur. *c*)

IV.

Curam itaque ipsius ut quis suscipiat, necesse est, cuinam vero præ cæteris illa demandanda, in oculos satis incurrit, etenim id parentum esse officium, *d*) unanimi omnium consensu contendo, parentes quippe qui vitam assistente summi Creantis benignitate & concursu proli suæ largiti sunt, eidem, quantum in se est, & quantum opus est, prospicere debent de his, quæ ad conservationem sunt necessaria, eo usque donec ipse se

Faciamus homini mutuum adjutorium, manifeste fluere non videatur; in statu enim integritatis cum nulla sint onera, nullaque incommoda, utpote statu omnium laborum & ærumnarum experte, ratio, quod Adamo Eva onerum ferendorum caussa sociata sit, suapte corruit, sed divina verba potius de ope, quam Eva Adamo in exhibenda εὐνοία jugali & generis humani propagatione præstare debuit, intelligenda veniunt. Conf. Christian. Thomas. *Jurisprud. Divin. Lib. III. Cap. III. §. XXIX. seq.*

c) De hominis recens nati & adhuc a matre rubentis conditione præ brutis deteriore *Vid.* Puf. *de Offic. Hom. & Civ. L. I. C. III. §. III.*

d) Ex generatione parentibus tanquam proximis competit liberorum educatio. vid. Grotius *de J. B. & P. Lib. II. Cap. V. §. I.* Puf. *J. N. & G. L. VI. C. II. §. IV.* Christian. Thomas. *J. D. L. III. C. IV. §. XLII.*

regere, victusque ad vitæ sustentationem parare possit. *e*)

V.

Verum enim vero quid magis facit ad splendorem ac potentiam Rerumpublicarum, quam incolarum numerus, *f*) unde vero proveniet, nisi ex insito illo parentum in liberos amore, & inde profluente industria in suorum educatione adhibenda, infantes recens natos fovendo & alendo, doctrina autem adultos imbuendo, quo membra Reipublicæ idonea aliquando evadere possint. *g*)

VI.

---

e) Parentes ex obligatione perfecta ad alimenta liberis præstanda teneri, egregie ostendit Puf. *J. N. & G. L. IV. C. XI. §. IV. seq.* Ex hoc Capite Adrianus Imperator curatorem pupillo alimenta per triennium denegantem ad officium redire cogens salse satis usus est verbis: *Propter hoc ergo datus es, ut fame eneces pupillum? pro modo ergo facultatis alimenta ei præsta.* Vid. Dositheus Magister *Lib. III. num. 12. recitans Divi Adriani Imperatoris Sententias & Epistolas, quas notis sub finem Jurisprudentiæ Antejustinianeæ illustravit Vir summæ eruditionis Antonius Schultingius Præceptor omni veneratione dignissimus.* Cum Dosithei Magistri loco *conf. L. 14. D. Ad Leg. Cornel. de sicariis.* Eodem sensu legitur in *Capitulo Caroli Magni Lib. VI. Cap. 322. Necatores pauperum omnes judicandi sunt, quod eorum alimenta subtraxerint.* Huc spectat omnino *L. 4. D. de agnoscend. & alend. liber. Can. 21. Dist.* 86. Land. Recht *Art. 21. Lib. I. n. 3.* Consule quoque *L. 10. D. de his, qui sui vel al. jur. sunt. L. 3. L. 4. C. de alend. liber.*

f) *Xenophon libello de vectigalibus Atheniensibus præcipue commendat curam, pro civium numero augendo, adhibendam.* Vid. Hofman. *Observationib. Politic. Lib. II. Cap. XXXV.*

g) *Hinc Pomponius in L. I. D. soluto matrimonio &c.* liberorum procreationem ac utilitatem publicam, eam imprimis, qua civitas repletur liberis, recte conjunxit; inde & veteres sapienter liberos inquiebant Reipublicæ nasci, civitatem non mœnia, sed homines efficere, civiumque numerum maximum & firmissimum ornamentum esse. *Conf. L. I. §. 15. D. de ventr. in possess. mittend.*

VI.

Hinc ut homines liberis operam darent, varia variarum Gentium, Romanorum ſcilicet, Athenienſium, aliarumque bene conſtitutarum Rerumpublicarum, præmia, iis, qui copioſam, & pœnas, qui nullam omnino prolem procreaſſent, propoſita in Hiſtoriis legimus. *h*)

VII.

Vnde prono fluit alveo, matrimonia non ſolum ineunda, ſed etiam extra matrimonium ea committere, quæ Deus illi tantum adſtricta voluit, turpe & nefarium habendum, imo pœnis tam divinis quam humanis ſubjectum eſſe. *i*)

VIII.

Nec minus ſequitur illud, maximum iſtos committere crimen, qui variis artibus fœcunditati obſtant, aut qui partum conceptum, antequam lucem aſpicere poſſit,

h) De gentium harum more et πολυπαιδίας præmiis & pœnis orbitatis, quibus homines ad matrimonia ineunda laudabili prorſus inſtituto pelliciebant, *agitur infra Cap. III. §. III. ſeqq.* Vid. Clariſſ. Dn. Profeſſ. Fichtneri Præceptoris plurimum colendi *Diſſertat. de præmiis polypædias de A.* 1708. Illuſtris quoque eſt in hanc rem *Oratio Auguſti apud Dion. Lib. LVI.* Nam cum Equites Legem de Cœlibibus latam antiquatam vellent: Auguſtus ſeorſim cœlibes, item eos, qui mariti eſſent, in concionem convocavit, cum vero cœlibes numero abundare vidiſſet, vehementer commotus, collaudatis maritis, in cœlibes invectus eſt.

i) *Vid. Ep. 1. ad Corinth. Cap. VI. Verſ. 9.* Conf. Carpzov. *Prax. Criminal. Part. II. Quæſt. 76. n. 10. ſeqq.* Matth. *de Criminib. Cap. VI de Adulterio. §. 8.* Stryk. *Vſ. Modern. D. ad Tit. de Adulter. §. 34* Struv. *Syntag. Jur. Civ. Exercitat. XLIX. Theſ. 43.*

ſit, omnibus modis adhibitis, enecare ſtudent, adeoque ſpem animantis intercipiunt, & Reipublicæ civem futurum adimunt. *k*)

IX.

His itaque tanquam certis ac veris fundamenti loco ſubſtratis, concludendum demum, infantes in lucem editos, cum homines ſint, juribusque hominum, quantum ipſorum conditio admittit, non debeant non perfrui, maxime lædi poſſe, *l*) non tantum per præfocationem, ſed etiam abjectionem, alimentorum denegationem, & ad publica loca miſericordiæ cauſſa expoſitionem. *m*)

X.

Attamen his non obſtantibus, Hiſtoriæ alia longe quamplurima Gentium alioquin a cultura vitæ honeſtioris non abhorrentium exempla produnt, *n*) quarum moribus

k) *Vid. L. 4. L. 3. §. 2. D. de Extraord. Criminib. L. 8. D. Ad Leg. Cornel. de ſicariis. L. 39. D. de pœnis.* Celeberrim. Schulting. *ad* Vlpian. *Frag. Tit. XXVI. §. VIII. not. 30. L. 38. §. 5. D. de pœnis.* Idem Schulting. *ad* Pauli *Sentent. Lib. V. Tit. XXIII. §. XIV. in not. Conſtitut. Criminal. Caroli V. Art. CXXXIII.*

l) Infans enim, ut ut paucis ante horas natus, injuriæ capax ſit, quemadmodum docet Puf. *J. N. & G. L. VI. C. II. §. VI.*

m) Hic repetenda ſunt quæ *§. IV. not. e)* dicta ſunt.

n) Mores peſſimi harum gentium *Patribus*, *Tertulliano*, *Ambroſio*, *aliisque*, tot exclamationes extorſerunt, adi imprimis, ſi lubet, *Minucium Felicem Octavio Cap. XXX.* cujus verba: Vos enim video procreatos filios nunc feris, & avibus exponere, nunc adſtrangulatos miſero mortis genere elidere. *Item eundem Cap. XXXI.* Dum etiam domi natos alienæ miſericordiæ frequenter exponitis. Hiſce adde Tertullianum *ad* Nationes *Lib. I.*

ribus introductum, legibusque permissum, liberos natos pro arbitrio tollere, exponere, abjicere, vel necare.

XI.

Has inter Gentes Romani ipsi praecipuum sibi vindicant locum, respicientibus quippe ritum illorum circa infantes recens natos usitatum, expositio statim occurrit, cum liberos, qui lucem vix adspexissent, Dea Levana *o*) Tutrice humi abjicerent, *p*) libero patris relicto arbitrio, velletne partum pro suo agnoscere, aut non agnitum exponere, hinc tunc temporis Columna Lactaria in Foro Olitorio posita habebatur. *q*)

Lib. I. Cap. XV. Item *Apologetico adversus Gentes Cap. IX. Lactantium Lib. VI. Div. Inst. Cap. XX.* Apulejum *Lib. X. Metamorphoseon.* Lactant. *Epit. Div. Inst. Cap. VI.*

o) Augustinus *de Civitate Dei Lib. IV. Cap. II.*

p) Infantes primum nati humi abjiciebantur, neque prius pro legitimis habebantur, quam pater praesens, vel absente illo, procurator aliquis infantem terra levasset ac in sinum collocasset, eundemque hac ratione pro suo agnitum sustulisset. Seneca *Consolat. ad Marciam, Cap. XVII. Consulti de nobis parentes nostri, qui cum conditionem vitae noscerent, in hanc nos sustulerunt.* Terentius *Heavtontim. Act. III. Sc. IV.*

SO. Meministin' me esse gravidam, & mihi te maxumopere dicere,
Si puellam parerem, nolle tolli? CH. Scio quid feceris,
Sustulisti. ST. Si sic factum est, domina, ergo herus damno auctus est.
SO. Minime, sed erat hic Corinthia anus haud impura: ei dedi,
Exponendam. Item *Andria Act. I. Sc. III.*
Quicquid peperisset, decreverunt tollere.

Plinius *Panegyr. Cap. XXVII. §. I. Magnum quidem est educandi incitamentum, tollere liberos in spem alimentorum, in spem congiariorum; majus tamen in spem libertatis.* Huc spectat *L. 6. Pr. & §. 2. D. de jur. patronat.*

q) Festus *Voc. Lactaria Columna pag. 303. inquit. Lactariam Columnam in Foro Olitorio stetisse, ad quam infantes lacte alendos deferrent.*

XII.

Sed quid immoremur hisce generalibus, cum leges hac de re speciales habeamus, sic *Dionyſ. Halicarnaſſ.* duas reliquit Romuli Leges, quarum prior illibatam patribus in liberos moribus introductam poteſtatem aliquatenus reſtrinxit, *r*) poſterior vero effrenatam illorum licentiam denuo permiſit, *s*) cujus legis vigor diu manſit, ſenſusque a Decemviris *XII. Tabulis* inſertus *t*) *Tabula IV.* repetitus legitur. *u*)

XIII.

r) Verba Legis prioris ex Dionyſ. Hal. *Lib. II. pag.* 88. ſunt: Primum quidem ejus colonis (Romulus) neceſſitatem impoſuit educandi omnem virilem prolem, & e filiabus eas quæ primogenitæ eſſent, & vetuit, ne ullum fœtum triennio minorem necarent, niſi ſi quis infans mutilus aut prodigioſus ſtatim in ipſo partu editus fuiſſet. Nam non vetuit iſtiusmodi monſtroſos partus a parentibus exponi: dummodo eos prius oſtenderent quinque vicinis proximis, ſi & ipſi id comprobarent.

s) Verba Legis poſterioris ex Dionyſ. Hal. *Lib. II. pag.* 96. hæc habe: Ὁ δὲ τῶν Ῥωμαίων νομοθέτης ἅπασαν ἔδωκεν ἐξουσίαν πατρὶ καθ' υἱοῦ, καὶ παρὰ πάντα τοῦ βίου χρόνον, ἐάν τε εἴργειν, ἐάν τε μαστιγοῦν, ἐάν τε δέσμιον ἐπὶ τῶν κατ' ἀγρὸν ἔργων κατέχειν, ἐάν τε ἀποκτιννύναι προαιρῆται. Romanorum legislator omnigenam poteſtatem patri dedit in filium, & quidem toto vitæ tempore, ſive eum exponere (ſic potius vertendum puto εἴργειν, cum Ampliſſ. Bynkershœkio, quam in carcerem detrudere) ſive flagris cædere ſive vinctum ablegare ad ruſticum opus, ſive necare libuerit.

t) Decemviri enim Legem hanc moribus receptam non auſi ſunt tollere, ne jus publicum cum ipſo magiſtratuum dominatu intercideret, cujus rationem Dionyſ. Halicarnaſſ. paulo inſequentibus verbis ipſe dedit.

u) *Lex iſta in hunc modum illic legitur*: ENDO LIBERIS IVSTIS IVS VITAE NECIS VENVMDANDIQVE POTESTAS

EI

XIII.

Eadem pessima infantes exponentium *x*) & recens natos necantium *y*) consuetudo fuit quoque apud Athenienses, quorum Cynosarges sæpissime frequentabatur. *z*)

XIV.

Nec Spartanorum mos hac in re ab Atheniensium more diversus fuit, siquidem ut brevibus multa complectar, *Lycurgi* lege non parum corroboratus. *a*)

XV.

Sed ita populi consueverunt remotiores a nobis, ad propiores quoque accedamus, Germanos scilicet, quid hi hac in parte statuerint. *b*)

EI ESTO. SI PATER FILIUM TER VENUMDUIT, FILIUS A PATRE LIBER ESTO. Jacob. Gothofredus *Quat. Font. Jur. Civ. de Legib. XII. Tabul. Tab. IV.*

x) Moris fuit apud Græcos, ut infantes in vasis fictilibus ad compita exponerentur, additis certis monumentis, id est crepundiis, ut eo facilius a parentibus possent agnosci. Terentius, *in Eunucho Act. IV. Sc. VI. Plautus Cistellaria Act. IV. Sc. I.* quam rem χυτειομὸ Græci vocaverunt, ut ex *Hesychio notat* Turnebus *Adversar. XIII. Menochius de lib. cas. 396. num. 7.*

y) *Solon Athenis legem tulit, qua filium suum parenti necare permissum erat, Auctore Sexto Empirico Lib. III. Pyrrhon. Hypoth.*

z) Cynosarges locus in Attica erat, ubi spurios infantes juvabant, ut patet ex *Suida voc. Cynosarges.*

a) *Plutarchus Lycurgo pag. 49. Tom. I. Edit. Parisiens. Verba legis videri quoque possunt apud* Pufendorf. *J. N. & G. L. VII. C. II. §. VI.* ubi in hanc rem plura adhuc elegantia adducuntur loca.

b) In insigne illud *Taciti de situ morib. & popul. Germaniæ Cap. XIX.* effatum: Plusque ibi (scilicet apud Germanos) boni mores valent,

XVI.

Sicut Romanis solenne fuit, recens natos humi abjicere, quos vel pater susciperet, agnosceret & aleret, vel exponeret, abjiceret & necaret; ita peculiaris ritus erat Celtarum in liberis modo natis explorandis, qui scilicet flumini impositi probabantur, siquidem si infans in clypeo collocatus undis abriperetur, nothus censebatur, si innataret vere reputabatur legitimus. c)

XVII.

lent, quam alibi (Romæ forsan) bonæ leges; nobis jam inquirendum, ac perspiciendum est, num idem etiam in hac nostra materia de iisdem prædicari possit.

c) Claudianus *in Ruffinum. Lib. III.*

Et quos nascenteis explorat gurgite Rhenus.

Nonnus *Lib. XXIII.*

Rhenus Iberus contra infanteis armatur: sed ut judex,
Et occultum partum discernens generationis,
Occidit peregrinas proleis.

Conf. Item *Lib. XLVI.*

Quibus adde Epigramma quoddam Græcum latine redditum.

Animosi Celtæ flumine Zelum habente Rheno
Natos explorant: & non prius sunt parentes
Quam viderint puerum ablutum flumine venerando
Statim enim ubi matris lubrice excidens per sinum
Infans primum profundit lachrymas, illum attollens
Ipse scuto imposuit novum puerum: neque curat
Nondum enim genitoris fert animum, antequam intuetur
Judicatum fluentis lectum reprehendentis fluvii
Illa vero a partu dolores post dolores habens
Mater, quamvis etiam pueri verum novit patrem
Excipit trepidans, quodnam machinetur instabilis unda.

Julianus Cæsar *in Epistola quadam ad Maximum*. Certe Celtis injuriam nullam facit Rhenus; qui spurios infanteis undis abripit, tanquam impuri lecti vindex, quos autem ex puro semine ortos agnovit, hos in summa aqua suspendit, matrisque tre-

mentis

XVII.

Apud Islandos olim moris fuisse infantes recens natos exponere, Keyslerus in Antiquitatibus selectis septentrionalibus & Criticis fide dignum documentum affert. *d*)

XVIII.

Gallos quoque æque ac Romanos vitæ necisque potestatem in liberos exercuisse auctor est *Julius Cæsar in Descriptione Belli Gallici. e*)

B 3 XIX.

mentis manibus reddit; & quasi verum incorruptumque casti & laudabilis conjugii testimonium servato infante persolvit. Meminit hujus ritus quoque *Galenus de sanitate tuenda.*

d) Olaus, *inquit Keyslerus*, *pag.* 335. sedulo inquirebat, quo pacto Christianæ Religionis sacra per Islandiam curarentur, quæ multis modis ibi labefactata ægre tulit. Relatum quippe fuit, Christianæ Religioni addictos equina vesci carne, ac paganorum ritu infantes suos recens natos exponere.

e) Viri, inquit *Lib. XVI. Cap. XIX.* in uxores, sicuti in liberos, vitæ necisque habent potestatem. Non secus ac apud Romanos obtinebat, quo jure uti in liberos, sic quoque in uxores, quæ confarreatione & coëmtione in manum convenerant, & quæ uno anno continuo absque usurpatione apud maritum erant, adeoque post annum in manu ipsius esse inceperant, maritis jus vitæ ac necis competiit. Dionys. Halicarnass. *Lib. II. pag.* 96. Plinius *Hist. Nat. Lib. XIV. Cap. XIII.* Ad ea vero plenius, quæ modo diximus, intelligenda, evolvenda sunt loca quædam Scriptorum, qui de mulieribus, quæ in manu mancipioque erant, egerunt. Conf. Clariss. Schultingius *Collat. Mosaic. & Roman. Leg. Tit. XVI. §. II. not.* 5. B. Nood *Probabilib. Lib. II. Cap. IX.* Ravardus *ad Leg. XII. Tabul. Cap. XXI.* Sigonius *de Antiquitat. Jur. Civil. Lib. I. Cap.* 9. Isidorus *Lib. IX. Cap. V.* Brissonius *Libro singulari de Ritu Nuptiarum.*

XIX.

Hæc vero quæ modo diximus, de particularibus quibusdam Germaniæ populis intelligenda sunt, de moribus enim Germanorum universalibus, ut & Judæorum consuetudine, plane aliud tradit *Tacitus*. *f*)

XX.

Ægyptiorum denique mores laudabiles relatu dignos, *g*) pariter Legem Thebanis hac super caussa latam, *h*) minime prætereundam duxi, quæ quippe longe præstat recensitis jam universalibus Germanorum moribus, cæterum quæ hinc inde adduci possent, dato studio omitto, ne *Caput* hocce nimium quantum extendatur, restant enim potiora alia *Capite II.* exponenda.

f) *De Germanis: Cap. XIX.* de situ, moribus & populis Germaniæ. Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare flagitium habetur. *Item Lib. V. Historiar. Cap. V. de Judæis:* Augendæ, inquit, tamen multitudini consulitur. Nam & necare quemquam ex agnatis nefas. Hinc generandi amor, *paucis interjectis addit*, quoniam matres scilicet certæ ad prolem tollendam.

g) De Ægyptiis tanquam peculiare quid memorat Strabo *Lib. XVII.* quod omnes filios educaverint.

h) Lex hæc Thebanorum rectissime & humanissime posita est, inquit Ælianus *Variar. Historiar. Lib. II. Cap. VII.* Ne cui Thebano liceat infantem exponere, neque in solitudinem abjicere, capitis supplicio constituto. Verum si extrema mendicitate pater laboret, sive mas sit, sive fœmina infans, jubet lex eum statim a materno partu ad magistratum cum ipsis fasciis adferre: qui acceptum, alicui tradit levi pretio, cum quo pactum & conditiones intercedunt, bona fide infantem alat, & adultum servi vel servæ loco habeat, sic ut pro educationis mercede operas ejus accipiat.

CAPUT II.

De pœnis, quibus afficiuntur, qui infantes exponunt.

I.

HOmines in libertate naturali viventes, cum neminem præter Deum superiorem agnoscerent, divinis sese tantum submittebant pœnis, lege naturæ in delicta commissa nullo certo & adæquato pœnæ genere statuente. *a*)

II.

Necessarium itaque fuit, civitatibus constitutis, ut earum summi imperantes, quod a jure naturali indeterminatum relinquebatur, lege civili definirent, *b*) &, utilitati ac saluti civium attenti, statuerent, quod poenarum genus

a) Hinc Grotius *J. B. & P. Lib. II. Cap. VIII.* §. *XX.* egregie: Natura, inquit, pœnas non determinat, quanquam naturaliter pœna aliqua digni sunt, qui delinquunt.

b) Cum multi patresfamilias utilitatis communis caussa in unum populum ac civitatem coirent, & omne jus singulis competens toto corpori tribuerent, ut rem communem communi quoque consilio administrarent, vel paucis membris summam rerum committerent, vel uni sceptra tenenti parerent, inde ortum, ut hoc ipso facto jussui civilis potestatis se subjicerent, cui incumbit, legibus saluberrimis huic cœtui perfecto prospicere, quo actus membrorum in totius corporis utilitatem dirigantur, contra nitentes vero pœnis justis, ut quæ sui sunt officii præstent, perducantur. Grotius *Prolegom. ad J. B. & P.* §. *XV.* §. *XVI.*

genus & quantum præcipue ſingulis delictis ſit infligendum. c)

III.

Hinc tot ſaluberrimas in hunc finem conſtitutas Romanorum, Athenienſium, Thebanorum, Germanorum, aliorumque moratiorum populorum videmus leges, qui in pœnis irrogandis obſervarunt, ut pœnas delictis pares adhiberent.

IV.

Cum vero impoſſibile ſit, ut omnia vitia, etiam in optime ordinatis Rebuspublicis, legibus notentur, imo multa malis moribus introducta diuturnaque conſuetudine firmata, eousque robur acquirant, ut pro vitiis amplius non reputentur, d) ſed inſuper legibus interdum approbentur & corroborentur, inde fit, oculis noſtris tot injuſtiſſimæ populorum alias cultiſſimorum leges ſeſe objiciant. e)

V.

Quis inter hos populos primos quæreret, Romanos, gentem, alias ob leges ſaluberrimas latas, adeo celebrem,

c) Probe conſiderandum in pœnis infligendis, quænam ſit proportio inter delictum & pœnam, hinc gravitas delicti æſtimanda eſt ex objecto, ex effectu, ex intentione delinquentis, & delicti frequentia, præterea neque pœnarum fines negligendi. Joh. Franciſc. Buddeus *Philoſoph. Pract. Part. II. Cap. IV. Sect. XIII. §. XXVI. & C. V. S. I. §. XIII. ſeqq.*

d) Vnde Porcius Cato *in Oratione quadam apud Saluſt. Bell. Catilin.* ita loquitur. Jam pridem equidem nos vera rerum vocabula amiſimus, quia bona aliena largiri, liberalitas, malarum rerum audacia, fortitudo vocatur.

e) Leges quasdam civiles dari plane injuſtas, exemplis & teſtimoniis more conſueto pulchre demonſtrat Grot. *J. B. & P. Lib. II. Cap. VII. §. 1.*

lebrem, ut nulli cederet, nisi ipsæ Romuli & Decemvirales *Capite I. §. XII.* recensitæ leges nostræ sententiæ fidem facerent.

VI.

Quis sibi persuaderet, hanc pessimam infantes exponentium consuetudinem per tot Secula impunitam fuisse relictam, donec Romanorum mores exculti magis hanc paulatim mutarent, legesque promulgarent, quibus sensim tolleretur e medio. *f*)

VII.

Variæ inde, eæque egregiæ in favorem expositorum liberorum latæ leges, quarum quælibet, nova jura, novaque beneficia expostitiis largiebatur, sed quam penitius etiam inspiciantur, vitium penitus eradicatum his & sublatum fuisse dici non potest. *g*)

f) Temporibus JCtorum in Digestis relatorum mentionem fieri adhuc infantum expositionis constat ex *L. 1. §. 2. D. de jur. & fact. ignorant. L. 29. D. de Manumiss. Testament.* quamvis non negemus, jus vitæ & necis illorum tempore multum imminutum fuisse, quod indicant *L. 11. in fin. D. de liber. & posthum. hæredib. instituend.* Conf. Cl. Schulting. *ad Ulpiani Frag. Tit. XXII. §. XX. in not. L. 2. D. Ad Leg. Cornel. de sicariis. Idem Collat. Mosaicar. & Romanar. Leg. Tit IV. §. VIII. in not. L. 5. D. Ad Leg. Pompej. de parricid. L. 5. D. Si a parent. quis manumiss. sit. B. Nood Commentar. ad Tit. D. de his qui sui vel alieni juris sunt.* Neque tamen inde liquido colligitur, hunc malum morem penitus sublatum, & quanquam licentia exponendi partum magnam jacturam passa recte infertur, ast in desuetudinem prorsus abiisse non putamus.

g) Quanquam ea, quæ ex singulari personæ proprietate fluunt, inaliabilia sint, ut est jus patrium, quod patris personam ita sequitur, ut ab illo neque avelli, neque in alium transferri possit,

VIII.

Hoc certum est, per leges proemia πολυπαιδίας ac poenas

possit, naturaliter tamen potest pater filium, ubi alia ratio alendi eum non suppetit, oppignorare & vendere, nisi lex civilis obstet, ex mente Grotii *de J. B. & P. L. II. C. V. §. V. & L. III. C. VII. §. IV.* Pufendorf. *de J. N. & G. L. VI. C. II. §. IX.* Lex Civilis Romuli *Cap. I. §. XII. not. u)* inserta, quamvis a naturali jure multum abeat, dum promiscue liberorum venditiones patribus permittit, attamen Numa Pompilius legi huic admodum durae, patri ad tertiam usque venditionem ex filio quaestum facere concedenti, in filio, in cujus nuptias pater consensisset, exceptionem adjecit, addita ratione, indignum esse, mulierem, quae homini libero nupsisset, mox cogere, ut cum servo vivat. Plutarchus *in Numa p. 126. Lege hac postea a Decemviris XII. Tabul. inscripta, uti* Ulpianus *Frag. Tit. X. §. I. eam ex ipsis Legibus XII. Tab.* recitat, hic vendendi mos novas acquisivit vires, donec tandem ad summum intensus rupit. Haec enim venditio, quae antea vera fuit, Cl. Schulting *ad Ulp. Frag. Tit. X. §. I. not. s)* & valde dura, interpretatione mollita est, & loco hujus verae imaginaria venditio introducta est, quae vero rursus in desuetudinem abiit, ita ut liberorum amplius nulla esset emtio, nullaque venditio. *L. 34. §. 2. D. de contrab. emt. L. 6. §. 2. D. De Leg. Fab. de plagiar. L. 15. C. Ad Leg. Fab. de plagiar. L. 4. D. de contrab. emt. L. 39. §. 3. D. de evictionib. L. 4. D. Quib. ad libertat. procl. non. lic. L. 1. L. 37. C. de liberal. causs. L. 1. C. de patrib. qui fil. distrax. L. 10. C. de patr. potest.* Hisce ita positis, Paulus *Sent. Lib. V. Tit. I. §. I.* unicam adjungit exceptionem, permittens filios intuitu extremae necessitatis vendere & oppignorare, sine praejudicio tamen status ingenuitatis eorum, cum liber homo pretio aestimari nequeat. Placuisse vero id ex hac ratione videtur, ne parentes liberis sibi procreatis novo sese oneri gravari videntes, illos exponendo vel occidendo atrocius peccarent; ob hanc enim rationem Leges quamplurimas in expositorum gratiam latas videas. *Leg. 1. Cod. Theodos. de aliment.*

poenas cœlibatus & orbitatis ſtatuentes, *h*) ut & SCtum Plancianum *i*) & alterum ſub Divo Hadriano factum, C 2 *k*) in-

ment. quæ inop. parent. de public. pet. deb. Leg. unic. Cod. Theodoſ. de patrib. qui filios ſuos diſtrax. Leg. 1. Cod. Theodoſ. de expoſitis. L. 16. C. de Nuptiis Leg. 1. C. de infantibus expoſitis. Non obſtantibus vero ante recenſitis locis, ſanguinolenti venditi poſtea tamen ementium ſervi facti ſunt, forte, ut eo facilius emtores reperirentur, quamvis non ſine ſpe recipiendi priſtini ſtatus, modo pretium, quanti eſſent, aut ſimile mancipium domino daretur. *L. 2. C. de patrib. qui filios ſuos diſtrax. L. 1. C. de his, qui fil. emt. vel nutriend. accep. Lex unica Cod. Theodoſ. de patrib. qui filios ſuos diſtrax. Novella XI. Valentiniani III. Tit. XI. L. 1. C. de infantib. expoſitis.* Attamen ex Conſtitutione Juſtiani, expoſiti, eorum, qui eos collegerunt, ſervi non fiunt, atque adeo neque diſtrahi ab iis poſſunt. *L. 3. L. 4. C. de infanitib. expoſitis. Novella CLIII. Conſ. Can. IX. Diſtinct. LXXXVII. Cap. unic. X. de infantib. & languid. expoſit.* Ea, quæ jam de venditione diximus, de oppignoratione quoque intelligenda ſunt, nam patrem non potuiſſe filium pignori dare, niſi extrema neceſſitate conſtat ex *L. 5. D. Quæ res pignor. vel hypoth. dat. oblig. non poſſ.* quæ lex ex hoc *Pauli* loco deſumta eſt, ubi pro *deportatur* legitur *relegatur*, ſicut in *Edicto Theodorici Cap. XCV.* ſcriptum eſt, *in exilium dirigitur. L. 6. C. Quæ res pig. oblig. poſſ. L. 9. §. 1. D. de pignorib. & hypothec. L. 6. Cod. Theod. de aliment, quæ inop. parent. de public. pet. deb. L. 1. C. de patrib. qui filios ſuos diſtrax. L. 12. C. de Obligat. & Actionib. Novella CXXXIV. Cap. VII.*

h) Evolvas hac de re *Plinium*, qui ait: Locupletes ad tollendos liberos ingentia proemia, & pares poenæ cohortantur. *Panegyr. Cap. XXVI. §. V.*

i) SCto Planciano, quod ad partus poſt divortium editos pertinet, conſtitutum eſt, ut ſi maritus, qui neque cuſtodes præmiſerit, neque contra denunciarit mulierem ex ſe non eſſe prægnantem, poſtquam ei ab uxore denunciatum eſt, ſe prægnantem ex eo eſſe, cogatur partum agnoſcere, & ſi non agnoverit, extra ordinem

k) ingentem utilitatem in Rempublicam Romanam redundaſſe,interim tamen non negandum, eundem malum morem adhuc duraſſe ad tempora usque Valentiniani, Valentis & Gratiani, qui demum vitium hoc, quo magis uſu induruerant homines, pœna capitali prohibuerunt. *l*)

IX.

ordinem coërceatur. *L.* 1. *§.* 4. *D. de agnoſc. & alend. liber.* Hæc vero pœna, cujus hic mentio fit, non eſt corporalis, a *Præfecto Urbi*, cui merum in urbe erat imperium, dictanda, ſed *Prætoris*, qui mixtum imperium habebat, coërcitio, utpote mulctæ dictio, pignoris captio, *L.* 1. *§.* 3. *D. de Ventr. inſpiciend.* hocque indicat ipſa inſcriptio *L.* 1. *D. de agnoſ. & alend. liber. ubi* Paulus *Lib. XXXIV. ad Edictum* commentatus eſt, & hæc eſt iſta pœna denunciati in *L.* 9. *C. de patr. poteſt.* ita enim in illa Lege pro pœna denunciata cum *Cujac. Obſervat. Lib. XIX. Cap. XL.* legendum eſt.

k) SCto ſub Divo Hadriano facto *L.* 3. *D. de agnoſ. & al. lib.* quod ad partus conſtante matrimonio editos pertinet, de iis agnoſcendis cautum eſt. Hinc in Edicto perpetuo, quod Hadriani juſſu factum, propoſita eſt actio præjudicialis de partu agnoſcendo, ut *Juſtinianus §.* 13. *Inſt. de Actionibus* refert. Præterea conceſſum eſt majori trimo a *Præſide* remedium alimentorum petenti, ut, hoc obtento, ipſi alimenta ex bonis patris decernantur *L.* 9. *C. de patr. poteſt.* Quod ſi non præſtentur, pignoribus captis & diſtractis, pater cogitur ſententiæ ſatisfacere. *L.* 5. §. 10. *D. de agnoſ. & al. lib.* His ita conſtitutis, quamvis non negemus, matrimoniorum ſaluti per hæc remedia civilia proſpectum fuiſſe, attamen neque affirmamus, multum iis expoſitioni infantum fuiſſe detractum, cum neque iſto tempore in hoc crimen animadverſum ſit, quod unicum erat, quod iſtius ſceleris fautores ab hac mala inveterata conſuetudine revocare potuiſſet.

l) Primi fuerunt Imperatores *Valentinianus*, *Valens & Gratianus*, qui expoſitionem infantum pœna capitali prohibuerunt in *L.* 2. *C. de infantibus expoſitis.* Quam legem ex duabus conflatam eſſe,

IX.

Apud Thebanos ne vestigium quidem licitæ expositionis reperimus, uti Cap. I. §. XX. indicatum, quippe qui merito ejusmodi facinorosos pœna capitali affecerunt.

C 3 X.

se, Viri Doctissimi jam dudum observarunt, siquidem prior pars *Valentiniani*, *Valentis & Gratiani*, posterior vero *Honorii & Theodosii* est, quæ separatim extat in *L.* 2. *Cod. Theodos. de expositis*. Quid Imperatores in illa lege per animadversionem, quæ constituta est, intellexerint, diu a Viris summis disputatum est. Nunc vero controversia hac a Viris magni nominis Amplissimo Bynkershoekio *Cap. IX. Opusculo de jur. occid. vendend. & expon. liber. apud Vet. Roman.* & B. Noodio *Cap. IX.* Julio Paulo decisa, dicendum est, respexisse hac lege Imperatores ad *L.* 8. *C. Ad Leg. Cornel. de sicariis.* quæ ab iisdem eodem anno lata fuit, uti inscriptio & subscriptio satis clare docet, adeoque in *L.* 2. *C. de infantibus expositis.* per animadversionem, quæ constituta est, intelligimus supplicium capitale, quod jam in *L.* 8. *C. de sicariis.* quæ totidem verbis in *Can. X. de Pœnitentia Distinct. I.* legitur, comprehensum fuit. Cæterum de magna controversia, quamdiu expositio infantum in usu fuerit, & quo tempore desierit, agitata inter Virum Amplissimum Bynkershoekium & B. Noodium, legi merentur ipsorum Virorum in Jurisprudentiam elegantiorem optime meritorum egregia scripta. Gerhardus Nood Julio Paulo, sive libro singulari de partus expositione & nece apud veteres. Cornelius van Bynkershoek *in Opusculo de jure occidendi, vendendi & exponendi liberos apud veteres Romanos.* G. Nood *in Amica Responsione ad difficultates* Julio Paulo a C. v. Bynkershoekio *motas.* C. v. Bynkerhoek *in Curis secundis de jure occidendi & exponendi liberos apud veteres Romanos ad* G. Nood. G. Nood *Commentario ad Lib. XXV. Tit. III. D. de agnoscendis & alendis liberis.* Hisce, quæ diximus, junge Cl. Schulting. *ad* Pauli *Sentent. Lib. II. Tit. XXIV. §. XIX. in not.* Item *Lib. V. Tit. I. §.* 1. *not.* 3.

X.

Athenienſium ut & Spartanorum mores cultiores ab hoc nefando ſcelere abhorruiſſe, & tractu temporis ab hac conſuetudine peſſima receſſiſſe credibile eſt.

XI.

Germani veteres, uti pleraque delicta certo armentorum pecorumque numero luere, ita etiam idem facinus certa bonorum parte puniviſſe, illorum leges egregie ultro fatentur. *m*)

XII.

Sed hæc hactenus de legibus Germanorum antiquis, ad recentiora tempora pedem promoventibus inprimis occurrant ſtatuta *Imperatoris Caroli V. Articulo CXXXII. Conſtitutionis Criminalis. n*)

XIII.

m) Huc referri poteſt Lex illa, quæ legitur apud Eccardum *Legib. Francor. Salic. & Ripuarior. ſub Tit. XXIV. num. 4. Pactus Legis Salicæ pag.* 124. *Si vero in ventre matris ſui occiſus fuerit, aut ante quod nomen abiat. ſunt din. IIII. fac. ſolid. C. culp. jud. Huic Legi adde Legem Ripuariorum. Tit. XXXVI. num.* 10. *pag.* 217. *apud eundem Eccardum. Si quis partum interfecerit, ſeu natum priusquam nomen habeat, centum ſolidis culpabilis judicetur. Quod ſi matrem cum partu interfecerit, ſeptingentis ſolidi multetur.* A Germanorum moribus hac in re parum diverſi erant mores Romanorum, qui pueris nono die, puellis vero octavo nomina imponebant, hinc dies illi luſtrici aut nominalia vocabantur auctore Feſto *verb. Luſtrici pag.* 507. Plutarcho *Quæſtionib. Roman. Quæſt. CII. pag.* 288. Macrobio *Saturnal. Lib. I. Cap. XVI.* Ante nominis impoſitionem ergo mortui vel occiſi pro non ſuſceptis habebantur. Cujacius *Paratitl. Cod. Tit. de infirmand. pœn. cœlibat. & orbitat.*

n) Articuli hujus verba ſic habent: So ein Weib ihr Kind, um daß ſie deß abkomme, von ihr legt, und das Kind wird geſunden und ernehret,

XIII.

Duæ in hoc Articulo propositæ Quæstiones decidendæ veniunt: Quæritur primum, si infans, a matre animo derelinquendi & ne eum alere teneatur, expositus, vivus adhuc reperiatur & nutriatur, qualis pœna matri, delicti convictæ, aut ἐπαυτοφώρῳ deprehensæ, sit infligenda, ubi quidem Imperator consilio prudentum pro rei circumstantiis eandem puniendam relinquit; Si vero partus iste moriatur, pro qualitate periculosæ expositionis, vel pœnam corporis afflictivam, vel ultimum supplicium statuit: Quæ dispositio cum generales regulas saltem præscripserit, JCtos commovit, ut diversos casus a se invicem distinguendos in ordine ad dictandam pœnam proposuerint.

XIV.

Ponamus ergo primum casum, si mater extremæ paupertatis necessitate coacta, ut onus alendi & educandi in patrem vel alium transferret, partum suum in locum hominibus obvium exposuerit, isque vivus repertus fuerit, qua pœna mater talis afficienda sit, in hoc casu

nehret / dieselbig Mutter soll / wo sie des überwunden und betretten wird / nach Gelegenheit der Sach und Rath der Verständigen gestrafft werden. Stürbe aber das Kind von solchem Hinlegen, so soll man die Mutter, nach Gelegenheit des gefährlichen Hinlegens / am Leib / oder Leben straffen. Quem Articulum erudito Commentario illustravit Dn. Kressius ad Constitutionem Criminalem. Vid. quoque Classenius, Blumblacherus, Ludovici, Bayerus, &c. ad illam. Conf. similiter *Nemesis Bambergensis Artic. CLVII.* a Dn. Ludovici adducta.

casu relegationem o) vel incarcerationem p) locum habere, dubitandum non est.

XV.

Enimvero si infans interveniente expositione mortuus reperiatur, positis omnibus modo enarratis circumstantiis, matrem tale quid perpetrare ausam, poenæ fustigationis cum perpetua relegatione, vel damnationi ad opus publicum subjici posse, nullus ambigo. q)

XVI.

o) Pœnam hanc locum habere constat, si infans ab exponente statim relictus & neglectus fuerit, nulla e longinquo sollicita adhibita cura, quis prætereuntium misericordia ductus prolem levaverit. Matth. *de Criminib. Lib. XLVII. Tit. ult. Cap. II. §. 2.*

p) Incarcerationem tunc obtinere posse statuendum, si infans tempore periculi vacuo, sicuti æstate, expositus fuerit, & exponens insuper excubias egerit, usque dum aliquis supervenerit, qui miserum tolleret, quod in Praxi multis exemplis probari possit, si arcti limites Dissertationis nostræ locum concederent.

q) Probe hic considerandum est, an exponens id loco & tempore opportuno fecerit, & mors præter animi propositum insecuta sit, hoc casu ictus fustium, vel damnatio ad opus publicum locum habere potest. Berlichius *Part. IV. Conclus. VII. num.* 34. Carpzov. *Prax. Criminal. Part. II. Quæst. X. num.* 10. *seqq.* Classen. *ad Constit. Criminal. Artic. CXXXII.* Quamvis autem exponens occasionem dederit expositione, ut periret infans, atque adeo in lata culpa omnino versetur, attamen cum infantis mortem, eo exponente, non primario intendit, ea potius ex accidenti supervenerit, forsan quod expositus sero nimis adeoque inedia jam consumtus repertus fuerit, idcirco exponens nullatenus gladio feriatur, sed ob expositionis occasione latam commissam culpam, quæ in criminalibus pro dolo neutiquam accipienda secundum *L. 7. D. Ad Leg. Cornel. de sicariis* supra dictam pœnam subibit.

XVI.

Caſum hunc ſecundum Paragrapho præcedenti explanatum fluere ex Quæſtione ſecunda dicti Articuli patet ex Imperatoris verbis ultimis: Infante vero ex expoſitione tali moriente, mater occaſione periculoſæ expoſitionis punienda eſt.

XVII.

Quibus facem præferentibus, caſum etiam præſentem tertium inprimis decidimus, ſi mater infantem in locum ſolitarium exponat, vel potius abjiciat, ut is media conſumatur, vel a beſtiis lanietur, quibus pœnis mater iſta eventu ſubſequente, vel non ſubſequente, coercenda ſit. *r*)

XVIII.

Caſu, circumſtantiis hiſce poſitis, eveniente, matrem talem, infante mortuo pœnam Legis Corneliæ capitalem ſcilicet incurrere, *s*) infante incolumi vero invento, fuſtigationem cum perpetua relegatione meruiſſe, non immerito dicendum. *t*)

r) Hæc tria ſollicite inquirenda ſunt 1.) locus, an ille revera ſolitarius fuerit, nec ne. 2.) tempus, hyemale num fuerit, ac frigidum an æſtivum & calidum. 3.) intentio, ut infans absque propoſito vel cum propoſito necandi expoſitus ſit.

s) Si infans expoſitus ſit in locum ſolitarium, & periret, tunc pœna gladii merito obtinet; dolo enim iſte non caret, nihilque interſit, occidat quis an cauſſam mortis præbeat, uti legitur in *L. 15. D. Ad Leg. Cornel. de ſicariis.* Weſenbec. *Paratitl. D. Ad Leg. Cornel. de ſicariis. num.* 14.

t) Quamvis ex verbis textus fuſtigatio hoc caſu locum habere non videatur, quia verba am ſcb adjecta tantum illi caſui videan-

XIX.

Explicatis hisce rei illustrandæ gratia, aliud adhuc quæritur, an non cum muliere, quæ metu ignominiæ & ad occultandos amores furtivos partum spurium abjecit, mitius agendum sit, quam cum aliis huc usque recensitis, *u*) & dicendum, illam quoque ratione delicti commissi puniendam esse.

XX.

Hæc quidem strictim dicta sint de pœnis, iis, qui infantes exponunt, pro delicti diversitate dictandis, plura Leges hoc *Capite II.* citatæ & Auctores allati suppeditabunt,

dentur, ubi infans periit, itaque tantum perpetuam relegationem locum sibi vindicare dicere quis posset, attamen licet Cæsar, morte consequente, ultimum supplicium, tanquam pœnam ordinariam decrerit, vivo vero infante reperto nach Gelegenheit der Sache pœnæ moderamen mandet, verosimile nihilo secius est, quod Imperator pœnam extraordinariam, & si magna delinquentis subsit malitia, itidem corporis coërcitionem admittat. Accedit, quod fæmina dolose & periculose infantem exponens, melioris conditionis esse non debeat, quam ea, quæ sine occidendi proposito & minus periculose infantem exposuit, qui casu dein perierit. Nec enim eventus aut casus pœnam magis temperare debet, quam animus & dolus delinquentis. Hahn *Observat. ad* Wesenbeccium *Peratitl. D. Ad Leg. Cornel. de sicariis.* Carpzov. *Jurisprudent. Consistorial. Part. IV. Def. III.*

u) Quamvis *Matth. de Criminib. loc. cit.* Senatum Mediolanensem puellam quandam, quæ ad infamiam evitandam partum exponendum tradebat, absolvisse referat, nobis tamen cum Kirchgesnero *in Tribunal. Nemes. Part. V. Cap. XIV. num. 20.* illa, veniam, aut mitiorem aliis sententiam, merita non videtur, sed pro qualitate expositionis & circumstantiarum puniendam.

bunt, quo Benevolum Lectorem remissum volo, & brevitatis memor, *III.* quod restat, *Caput* aggredior.

CAPUT III.

De Remediis quibusdam circa promovenda matrimonia, & ad quem cura expositos alendi pertineat.

I.

MAtrimoniorum favor in Rebuspublicis bene constitutis inprimis considerandus, siquidem conjugium unicus iste status est, quo gens humana legitime propagatur, propagata curatur, & ut cives aliquando idonei evadant, honeste educatur, quo civitas perfecta ac incolumis tandem emergat atque perstet. *a)*

D 2 II.

a) Magistratus inde officium est, ut certum modum præscribat, ante nuptias servandum. Quanta hujus rei apud Gentiles religio, quot ante nuptias sacrificia, calamo satis exprimi non potest, illa omnia vero præcipue hac de caussa erant introducta, ne homines promiscue conjugia inirent fine ratione, hinc ortum est, ut non pecuniæ, sed uxores quærerentur, non reditus, sed sponsi eligerentur, *hoc voluit Lycurgus, quando Lacedæmoniorum virgines sine dote ducendas jussit.* Justinus *Lib. III. Cap. III.* Ælianus *Variar. Historiar. L. VI. Cap. VI.* Huc quoque facit egregium. Themistoclis responsum, qui cum cum consuleretur, utrum bono viro pauperi, an minus probato diviti filium collocaret: Ego vero, inquit malo virum, qui pecunia egeat: quam pecuniam, quæ viro. Cicero *de Offic. Lib. II. Cap. XX.*

II.

Summis itaque civilis societatis rectoribus incumbit, quibus quippe salus populi suprema lex esto, ut irritamentis prœmiorum & commodorum quorundam subtractionibus, cives ad conjugia suscipienda invitent. *b*)

III.

Romanos id commodum præ cæteris observasse, multa illorum edocent instituta, quid enim aliud æs uxorium illis libera adhuc Republica erat, *c*) quam mulcta Censorum, qua mulctabantur, qui non ducta uxore ad senectutem pervenerunt. *d*)

IV.

Quid aliud sibi voluit Quæstio illa Censorum solennis, & tu ex animi tui sententia uxorem habes? quam ut indicaret, quantum curæ cordique haberent matrimonia. *e*)

V.

Quid aliud intendit Julius Cæsar, cum viginti millibus civium extra sortem agnum Campanum divideret, quibus

b) Matrimoniis evitatis, pauci honestos liberos procreant, meretricibus auctis civitas spuriis repletur, atque sic Respublica, magnum capit detrimentum, unde Cicero *de Finibus Lib. III.* ut homo e natura vivat, consentaneum esse, uxorem adjungere, & velle ex ea liberos procreare.

c) Festus *voc. Uxorium. p.* 478. Uxorium pependisse dicitur, qui, quod uxorem non habuerit, æs populo dedit.

d) De Censura severa M. Furii Camilli & M. Postumii Albini vid. *Valerius Maximus Lib. II. Cap. IX. Plutarchus Vita Camilli pag.* 129.

e) Vid. Aulus Gellius *Noct. Attic. Lib. IV. Cap. XX.*

quibus terni pluresve liberi essent, *f*) quæ alia mens, exhausta post bellum Africanum vehementer urbe, prœmiorum iis, qui multam prolem procreassent, propositorum, quam ut ope connubiorum urbem denuo repleret civibus. *g*)

VI.

Hæc insuper Augusto præcipua cura fuit in legibus rogandis de maritandis ordinibus, *h*) hæc Legis Papiæ Poppeæ, post multas demum rogationes, origo. *i*)

f) Suetonius Julio *Cap. XX.* Appianus *de Bello Civili II. pag.* 433.

g) Suetonius Julio *Cap. XLII.* Dio Cassius *Hist. XLIII. pag.* 256.

h) Lata ex lex Julia de maritandis ordinibus post multas rogationes, ab Augusto A. V. C. IↃCCXXXVI. qui primum proemia πολυπαιδίας & pœnas orbitatis pluribus Capitibus invicem distinxit, quæ tamen brevi insecuto tempore cum Capitibus legis Papiæ Poppeæ rursus confusa sunt, inde JCtos in Digestis ad Legem Juliam & Papiam commentatos videas.

i) Lex Papia Poppæa lata est ab Augusto, eoque jam seniore, post Julias demum rogationes, M. Papio Mutilo & Q. Poppæo Sabino Consulibus suffectis A. V. C. IↃCCLXII. & quidem incitandis cœlibum pœnis, ut scribit *Tacitus Lib. III. Annal. Cap. XXV.* Capite VII. legis hujus de prœmiis patrum & maritorum actum fuisse colligitur ex *Agellio Lib. II. Cap. XV.* Prœmiorum duo erant genera, honorum & commodorum, quæ utraque largiora patribus, quædam vero seorsim data sunt maritis, aut iis, qui numero maritorum habebantur, ut sunt sponsi, aut qui jus mariti ab Imperatore impetraverant. Ad hoc Caput Legis Papiæ Poppeæ plurimæ notatu dignæ leges spectant. Vid. *L. 6. §. 5. D. de Decurionib. L. 9. C. Eod. L. 2. D. de minorib. vig. quinq. an.* Conf. Cujacius *ad hanc Leg. 2. ad Juliani Lib. XIX. ad Leg. Jul. & Pap. L. 2. §. 2. L. 18. D. de Excusationibus. L. 1. C. Qui num. liberor. se excus. L. 7. §. 3. D. de Bon. Damnator. L. 7. Cod. Theodos. de Navicular. L. 13. L. 16. D. de Castrens. Pecul.* Conf. Cl. Schulting. *ad* Vlpiani *Frag.*

Tit.

II.

Summis itaque civilis societatis rectoribus incumbit, quibus quippe salus populi suprema lex esto, ut irritamentis prœmiorum & commodorum quorundam subtractionibus, cives ad conjugia suscipienda invitent. *b*)

III.

Romanos id commodum præ cæteris observasse, multa illorum edocent instituta, quid enim aliud æs uxorium illis libera adhuc Republica erat, *c*) quam mulcta Censorum, qua mulctabantur, qui non ducta uxore ad senectutem pervenerunt. *d*)

IV.

Quid aliud sibi voluit Quæstio illa Censorum solennis, & tu ex animi tui sententia uxorem habes? quam ut indicaret, quantum curæ cordique haberent matrimonia. *e*)

V.

Quid aliud intendit Julius Cæsar, cum viginti millibus civium extra sortem agnum Campanum divideret, quibus

b) Matrimoniis evitatis, pauci honestos liberos procreant, meretricibus auctis civitas spuriis repletur, atque sic Respublica magnum capit detrimentum, unde Cicero *de Finibus Lib. III.* ut homo e natura vivat, consentaneum esse, uxorem adjungere, & velle ex ea liberos procreare.

c) Festus *voc. Uxorium. p.* 478. Uxorium pependisse dicitur, qui, quod uxorem non habuerit, æs populo dedit.

d) De Censura severa M. Furii Camilli & M. Postumii Albini vid. *Valerius Maximus Lib. II. Cap. IX. Plutarchus Vita Camilli pag.* 129.

e) Vid. Aulus Gellius *Noct. Attic. Lib. IV. Cap. XX.*

quibus terni pluresve liberi essent, *f*) quæ alia mens, exhausta post bellum Africanum vehementer urbe, prœmiorum iis, qui multam prolem procreassent, propositorum, quam ut ope connubiorum urbem denuo repleret civibus. *g*)

VI.

Hæc insuper Augusto præcipua cura fuit in legibus rogandis de maritandis ordinibus, *h*) hæc Legis Papiæ Poppeæ, post multas demum rogationes, origo. *i*)

f) Suetonius Julio *Cap. XX.* Appianus *de Bello Civili II. pag.* 433.

g) Suetonius Julio *Cap. XLII.* Dio Cassius *Hist. XLIII. pag.* 256.

h) Lata ex lex Julia de maritandis ordinibus post multas rogationes, ab Augusto A. V. C. IↃCCXXXVI. qui primum proemia πολυπαιδίας & pœnas orbitatis pluribus Capitibus invicem distinxit, quæ tamen brevi insecuto tempore cum Capitibus legis Papiæ Poppeæ rursus confusa sunt, inde JCtos in Digestis ad Legem Juliam & Papiam commentatos videas.

i) Lex Papia Poppæa lata est ab Augusto, eoque jam seniore, post Julias demum rogationes, M. Papio Mutilo & Q. Poppæo Sabino Consulibus suffectis A. V. C. IↃCCLXII. & quidem incitandis cœlibum pœnis, ut scribit *Tacitus Lib. III. Annal. Cap. XXV.* Capite VII. legis hujus de prœmiis patrum & maritorum actum fuisse colligitur ex *Agellio Lib. II. Cap. XV.* Prœmiorum duo erant genera, honorum & commodorum, quæ utraque largiora patribus, quædam vero seorsim data sunt maritis, aut iis, qui numero maritorum habebantur, ut sunt sponsi, aut qui jus mariti ab Imperatore impetraverant. Ad hoc Caput Legis Papiæ Poppeæ plurimæ notatu dignæ leges spectant. Vid. *L. 6. §. 5. D. de Decurionib. L. 9. C. Eod. L. 2. D. de minorib. vig. quinq. an.* Conf. Cujacius *ad hanc Leg. 2. ad Juliani Lib. XIX. ad Leg. Jul. & Pap. L. 2. §. 2. L. 18. D. de Excusationibus. L. 1. C. Qui num. liberor. se excus. L. 7. §. 3. D. de Bon. Damnator. L. 7. Cod. Theodos. de Navicular. L. 13. L. 16. D. de Castrens. Pecul.* Conf. Cl. Schulting. *ad* Vlpiani *Frag.*

Tit.

VII.

Eædem leges jus illud celebre liberorum constituerunt, *k*) quod tamen & innuptis *l*) beneficio superioris interdum impetratum est, *m*) hinc jura & prœmia patribus

Tit. XVI. not. 1. Augustus quoque intendit legem Juliam quantum ad pœnas, easque hac nova lege lata auxit, vid. Suetonius August. *C. XXXIV.* Dio Cassius *Lib. XLV. pag.* 549. inde explicantur in Jure tot Quæstiones egregiæ de solidi captione, cœlibes enim ex testamento nihil capiebant, nisi e tabulis proxime junctorum, orbi vero tantum dimidium teste Nicephoro *Lib. VII. Cap. XLVII.* & Sozomeno *Histor. Ecclesiastic. Lib. I. Cap. IX.* Vid. *L.* 62. *Pr. L.* 78. §. 3. *D. de hæredib. instit. L.* 6. *D. de vulg. & pupil. substit. L.* 13. §. 10. *D. de jure fisci.* Vlpianus *Frag. Tit. XVII.* §. 1.

k) Ita vocatur hoc jus liberorum in Novella Valentiniani *Tit. IV.* Occurrit quoque idem liberorum jus in Inscriptione quadam apud Gruterum *pag.* CIↃIↃLXXXI. STATIA IRENE IVS LIBERORVM HABENS, quam copiose illustravit Fridericus Brummerus *ad Legem Cinciam Cap. XIV.* quod jus liberorum deinde pluribus in locis per siglas I. L. H. scriptum reperitur.

l) Virgines Vestales jus liberorum habuisse refert Plutarchus *Numa pag.* 66. Item Dio *Lib. XL. de Claudio ait*, quod militibus, quoniam legibus uxores ducere non poterant, jura maritorum concessa fuerint. Imo Deos jure liberorum donarunt auctore Dion. Cass. *Lib. LV. Princip.*

m) Olim jura talia indulsisse Senatum, postea Principes, scribit Dion. Cass. *Lib. LV. pag.* 549. Exempla impetrati ab Imperatoribus liberorum juris plurima vide apud Plinium *Lib. II. Ep. XIII. num.* 8. *Lib. X. Ep. XCV. Lib. X. Ep. II. n.* 1. Hujus vero juris impetratio jam a tempore *Theodosii Junioris* non amplius requirebatur, cujus Constitutionem *L.* 1. *C. de jur. liberor.* positam Justinianus *Novella LXXVIII.* eo nomine laudat.

bus & maritis concessa, *n*) hinc pœnæ cœlibatus & orbitatis provenerunt. *o*)

VIII.

Apud Spartanos ejusdem argumenti legem fuisse ad civium suorum numerum augendum Ælianus perspicue nos docet. *p*)

IX.

Quantam Atheniensium Rex Cecrops industriam adhibuerit, ut gentem origine claram perennem redderet, Justinus pulchre ostendit, addita caussa, quod ob promota matrimonia fabulæ biformem finxerint. *q*)

X.

---

n) Quantum favorem numerus liberorum habeat, id indicant frequentissima Scriptorum loca. Conf. Sueton. Augusto *Cap. XLIV.* Agellius *Lib. II. Cap. XV.* Livius *Lib. XLI. Lib. XLV.* Gellius *Noct. Attic. Lib. II. Cap. XV.* Tacitus *Annal. Lib. II. Cap. XXXVII. Cap. XXXIIX. Cap. LI. Cap. LXX. Lib. III. Cap. XXXIII. Lib. XV. Cap. XIX.*

o) De his pœnis actum est *§. VI. not. i*) Adde *Leg.* 11. *D. de vulgar. & pupillar. substitut. L.* 135. *D. de Verb. Signif.* Pœnæ istæ sublatæ sunt *L.* 1. *C. de infirmand. pœn. cœlibat. & orbitat.* Conf. Cujacius *Paratitl. Tit. Cod. de infir. pœn. cœlibat. & orbitat.* Jacobus Gothofredus *ad Leg. Jul. de maritand. ordinib. Cap. XXIII. & ad Leg. unic. Cod. Theodos. de infirm. pœn. cœlibat. & orbitat.* De tota hac materia omnino vide, quæ breviter sed solide scripsit Joann. Gottlieb. Heineccius *Antiquitatib. Roman. L.* 1. *Tit. XXV. §.* 1. *seqq.*

p) Lex est Spartianis ait Ælianus *Var. Hist. Lib. VI. Cap. VI.* ut qui tres filios Reipublicæ suppeditaret, is ab excubiis liber esset, qui vero quinque, ab omnibus publicis officiis & sumtibus immunitatem haberet.

q) Justinus *Lib. II. Cap. VI. num.* 7. Ante Deucalionis, inquit, tempora Regem (Athenienses) habuere Cecropem: quem,

ut

X.

Ejusdem tenoris, quod adduximus *Cap. I. §. XX. not. h)* Thebanorum legem olim permisisse, infantem fasciis adhuc involutum ad Magistratum adferri, si extrema paupertate laborarent parentes.

XI.

Cæterum notissima sunt Germanorum jura peculiaria in cœlibum demortuorum bona, vi quorum caduca occupantur & in fiscum rediguntur. *r*)

XII.

Cum autem prœmiis neque pœnis hisce eo res redigi posset, ut homines honestas nuptias sectarentur, & cœlibatu abdicarent se, quin potius luxuriæ dediti amores furtivos affectarent, impia spe ducti, si ex illicito ejusmodi coitu liberi gignerentur, a matre rubentes adhuc infantes alienæ misericordiæ exponendo committi posse, uti fit, mali mores demum bonis legibus occasionem præbuerunt, cum post spretum omne interdictum, ædificia publica ad sustentandos misere expositos repertos exstruerentur.

XIII.

ut omnis antiquitas fabulosa est, biformem tradidere, quia primus marem fœminæ matrimonio junxit.

r) Vocatur jus illud Germanorum lingua das Hagestolzen-Recht, quod in Terris Brunsvicensibus, Würtenbergicis & Palatinis adhuc viget. Videat. Schottelius *de singularib. quibusd. jurib. German. Cap. I.* Wernherus *Dissertat. de Jure Hagestolziatus de A. 1724. Wittenberg. habit.* Chur-Pfälzische Lands-Ordnung *Tit. VIII. fol. 52. seqq.*

XIII.

Hunc certe in finem Athenienſium Cynoſarges inſtitutum & Romanorum Columna Lactaria in Foro Olitorio poſita eſt, de quibus jam ſupra *Cap. I. §. XI. &* *§. XIII.* diximus.

XIV.

Eidem malo obviam itum eſt Juſtiniani ævo Brephotrophiis toties Imperatori laudatis, & novis beneficiis ac præmiis inſtructis. *s*)

XV.

Nec diverſum ſcopum ſibi præfixerunt Majorum memoria in Germaniæ urbibus erecta Brephotrophia, quibus miſere repertis expoſititiis de neceſſario victu & amictu proſpiceretur. *t*)

XVI.

Hinc iisdem piis uſibus dicata talia videmus Amſtelodami, Hagæ Comitum, Lugduni Batavorum, Londini, Pariſiis, Norimbergæ, & alibi.

XVII.

Enimvero cum & loca ſint, laudabili hoc inſtituto carentia, onus alendi & educandi repertos, ſiquidem receptum ſit, eccleſiæ incumbit, ſi ſufficientes habeat reditus. *u*)

E XIII.

s) Vid. *Leg. 19. L. 22. C. de SS. Eccleſiis. Rubrica Tit. Cod. de Epiſcop. & Cleric.*

t) Videatur Beſoldus *in Theſaur. Practic. voc.* Findel-Kinder. Item Kinder hinwerffen, außſetzen. Dietherr. *in Continuat. theſ. pract. voc.* Findel-Kinder. Findel-Haus.

u) *Can. LXX. Cauſſ. XII. Queſt. II.* Barboſ. *in Cap. unic. X. de infantib. expoſit. num. 4. & 5.*

XVIII.

Præterea cum plerisque in locis sit consuetudinis, a communitatibus modo dictos ali, merito isti insistitur, cum præsertim, si forte eveniret, enutritum infantem parentes & hæreditatem reperire, illæ jus successionis in bona acquirant. *x*)

XIX.

Denique quia idem mos, quem attulimus ubique locorum non obtinet, placuit plerisque, ut hoc onus, in quem commoda jurisdictionis redundant, in se suscipiat.

XX.

Evenit interim quibusdam in locis, alterum superiorem, alterum inferiorem jurisdictionem exercere, quamobrem ejus est, qui superiorem habet, hisce imbecillibus in via repertis benigne prospicere. *y*)

XXI.

x) Sande *Decis. Fris. Lib. II. Tit. VIII. Def. IV. hanc quoque consuetudinem in Frisia receptam esse testatur, addita ratione*: Sunt enim, inquit, hujusmodi infantes habendi numero pauperum & mendicantium, ideoque alendi ab universis incolis istius loci, ubi reperiuntur, instar aliorum pauperum & mendicantium: ubi affert Constitutionem Caroli Magni, quæ ita habet: Mendici per regiones vagari non permittuntur, suos pauperes quævis civitas alito, nisi manibus operentur, nullus quidquam dato.

y) Quamvis videantur alimentis impendendi sumtus pertinere ad caussas civiles, rectius tamen ad criminales referuntur, neque obstat, quod per se quidem caussa criminalis non sit, attamen cum a crimine expositionis proveniat, recte ad judicem superiorem jurisdictionem habentem remittitur. Carpzov. *Prax. Criminal. Part. I. Quæst. X. num. 25. seqq. & Part. III. Quæst. CIX. num. 45.* Moller. *Lib. IV. Semestr. Cap. XLV. num. 6. seqq.*

XXI.

Manet hinc præcipua cura Brephotrophiorum Præfectos, Ecclesias, Communitates, vel Magistratus merum imperium tenentes, ut infantes, ad educandum in potestatem nactos, e vestigio sacro fonte lavari curent. z)

XXII.

Quin imo & hoc ex re est atque æquitatis, nullo discrimine agi debere eos, qui legitimo thoro, quique ex illegitimo concubitu nati sunt, si vel maxime de certa eorum origine non constet, omnes potius ut æquales, ad honores, officia & opificia, admittendos esse. a)

XXIII.

Quod reliquum est, scio equidem latius patere campum materiæ meæ, sed cum intra instituti limites manere semel decreverim, pedem hic figo, Deo ter Optimo terque Maximo pro concessis viribus immortales persolvendo gratias.

z) Solet interdum expositis schedula quædam affigi, vel fasciis involvi, qua certi redduntur pii curantes de baptismo accepto ac indito nomine, si autem de vero baptismo dubitatio oriatur, illum neutiquam intermittendum, potius ne dein perpetuo in vita de baptismi gratia fluctuet, adhibendum esse, tutissimum est. Stryk. *ad* Brunneman. *Jus Ecclesiasticum Lib. II. Cap. II. membr.* 2. §. 7. Bechmann. *Theolog. Conscient. Tit. I. Sect. V. Cas. VII.*

a) Cum spurii non solum, verum etiam legitimi aliquando exponi soleant, satius ergo est, pro ipsis, quam contra eos pronunciari, & longe præstet, decem hominum in incerta caussa, famæ consulere, quam innocentem unum infamare, perfruantur igitur, tanquam legali probatione contra illos deficiente, ex bono & æquo commodis legitimorum. Palæottus *in Tract. de noth. & spur. Cap. LXIII,* Caranza *de part. natural. & legitim. Cap. IV. n.* 49. & 50.



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

SVO EX FRATRE NEPOTI SEMPER SIBI CARO

S. P. D.

MICHAEL CHRISTOPHORVS MVLLER, I. V. D.
ET ILLVSTRIS REIPVBL. NORIB. ADVOCATVS ORD.

Etsi multa me impediunt gratulaturum Tibi, tamen committere non potui, quin Tibi, sanguine mihi conjuncto, gratularer, & argumentum DE EXPOSITIONE INFANTVM *applauderem. Dedisti certe Candidate dignissime, erudito orbi hac tua Dissertatione industria specimen singulare, & quo frequentiora olim erant (ut solide demonstrasti) tam apud Romanos, Græcos aliasqte gentes, quam & hodie sunt expositiorum infantum exempla, eo majori studio sunt repellenda & animadvertenda. Quemadmodum itaque hoc Tuo labore multam laudem tibi paras, ita, opinor, fiet, ut aliquando experiaris; non frustra nec temere abs Te susceptam esse hanc operam. Hæc non ideo scribo, ut aliquid laudis & gloriæ, quod modestia Tua prohibet, in Te rediret, sed tantum ut declarem affectum & lætitiam, quam ex honore Tuo capio. Concedat modo Deus T. O. M., ut hac Tua felicitate diu fruaris, sicque præmiis diligentia diu promeritis ornatus, Patronos in Patria invenias benignos, & variis muneribus auctus, perpetuo floreas vigeasque. Certissimum Te volo, nihil tam futurum esse honorificum, quod non pro meo in Te amore, Tibi cumulatissimum evenire cupiam. Vale & me porro ama. Scribebam Noribergæ festinanti calamo die quarto Calendarum Aprilis A. C. R. cIↄ Iↄcc xxvii.*

NOBI-

NOBILISSIMO ET IVRISPERITISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

GEORG. FRID. DEINLINVS, D.

TV, *sane, recte iniisti studiorum rationes,* AMICE DILECTE! *Omnes boni hoc fatentur, & hac de caussa læti* TIBI *gratulantur. Venisti primum in hanc Musarum sedem, egregiis virtutibus artibusque optimis instructus. Probum* TE *gessisti, strenuum, laborisque patientissimum. Quo major vero industria* TVA *fuit, eo certior jam de* TE TVISQVE *futuris felicitatibus surrexit spes. Cepisti mox,* PARENTVMQVE OPTIMORVM *suffragio muniisti consilium de exteris regionibus Belgiique imprimis Academiis visendis. Et quis dubitat, animi cultum bonosque mores ubique* TE *commendasse satis? Et quis non videt,* TE *nec inanem discessisse, nec aliter, quam varia eruditione atque doctrinis perpolitum rediisse? Maxime id testatur præsens Dissertatio ingenii* TVI *partus satis adultus, quem publicæ luci expositum, paterno amore in conflictu defendes mascule: Ita feliciter, quod Dei Beneficium est, redux, bene laudabiliterque facis, quod lauream quæris, istum prope fontem, virescentem, ex quo primum dulce merum genuinæ Jurisprudentiæ hausisti. Honores non ambitiose quæris, nec tamen eosdem industriæ fructus recusas. Hos itaque a Magnificis Justitiæ Præsidibus* TIBI *ex merito decretos, jure gratulor & felices adeo fortunatosque esse cupio. Plura non addo: Addat modo divinum Numen brevi voto largissimam benedictionem. Cæterum quantum apud me valeat amicitia* TVA *integerrima, verbis exprimere non possum; &, si possem, certe hoc loco nollem. Scilicet, ne in laudes* TVAS *meritas, quod evitari non posset, longe simul digressus, vel* TVAM *læderem modestiam, vel injustam adulationis suspicionem in me devolverem. Vtrumque fugio, & de hoc unico saltem* TE *certiorem reddo, nihil jucundius nihilque exoptatius mihi contingere posse, quam frequentiores occasiones, quibus testari queam & cultum, quo* TE *prosequor, & officiorum, ad quæ obstrictum me sentio, promtitudinem. Ita vale, & res* TVAS *age feliciter! Dab. Altorfii III. April. A. O. R. MDCCXXVII.*

PRAENOBILISSIMO IVRISPERITISSIMO DOCTISSIMOQVE

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

LEONHARDVS BOHNERVS

PHILOSOPHIAE AC BB. ARTIVM MAGISTER.

Quo jucundior mihi nunquam non fuit conversatio Tua familiaris, quo certior firmiorque amicitia, per longum jam temporis spatium in Academiis culta a nobis ac conservata: eo gratior omnino hac mihi esse debet præsens occasio, qua ex voto demum de publicis Tibi conferendis honoribus jam dudum promeritis, latabundus gratulari, sincerumque simul animum meum, totum Tibi deditum, publice quoque profiteri possum. Sapientissimum Numen ante septem nunc circiter annos contubernales heic Altorfii nos voluit esse conjunctissimos. Equidem studia nostra tunc non erant communia; una tamen nobis mens semper fuit, una voluntas, ut, cum ad triennium pene in tali tamque suavi viveremus consortio, intereaque sub eodem nos tecto jugiter contineremus, nunquam in gratiam una redierimus. Quid? quod ab eo tempore distractis nobis ab invicem, Te quippe ad Batavos abitum parante, me vero in Saxoniam, post aliquod rursus intervallum felicitas mihi contigerit, Lugduni non tantum integrum ac sospitem Te offendendi, animumque aspectu Tuo, Tui utpote desiderio haud leviter hucusque laborantem, exhilarandi; sed & pristinam ibidem vivendi rationem innovandi plane, unove eodemque museo, ad brevius licet tempus, secunda Tecum vice utendi. Etiamsi vero alter, qui mox fiebat, a Te discessus meus me gravius tum affecerit priori, de Tuo tamen in patriam adventu, ex reliquis, puto, itineribus, qua paulo post per Angliam, Galliam ac Germaniam ultimum prudenter instituisti, fortunateque haut ita pridem composuisti, ita fui gavisus, ita pacatus, ut non aliter, quam frater germanus redditus mihi videreris,

dereris, cujus porro amicitia constanter in propinquo frui quirem. Cum itaque intima hac intemerataque nostra conjunctione, satis per tot annos ac rerum nostrarum vicissitudines & explorata, & probata, nil babeam supra, jure meritoque me participem quoque reor istius felicitatis, qua hodierno die exornaris. Testis sum, si quis alius, indefessæ Tuæ industriæ, cum infucata in Deum pietate indivulso semper nexu conjunctæ, quam in addiscendis Juris, cui Te consecrasti, capitibus ac insuper aliis optimis quibusve doctrinis ac disciplinis, quæ ornamentum illis conciliare poterant, die pariter ac nocte collocasti. Hinc etiam summus rerum Arbiter benedictione largissima sua deesse Tibi non potuit. Omnino ergo, præ ceteris, jam applaudo Tibi, OPTIME MULLERE, *de dignitatis illius gradu, ad quem satis digno Tibi ascendere licitum est. Fer nunc fructus solertiæ ac probitatis Tuæ, quos Tibi Ipse acquisivisti, quosve nemo invidebit. Vndique illic istbic collectum Tibi thesaurum eruditionis non vulgaris, ac amplam omnis generis scientiæ supellectilem redux Tecum apportasti; quod vel sola Tua hæc Dissertatio Inauguralis unicuivis dabit intellectum. Iusta igitur vicissim reportas laudum Tuarum præmia. Imo longe plura auguror & animitus quoque Tibi apprecor. Inprimis faxit Deus benignissimus, Legislator summus ac Vindex acerrimus, ut brevi in Republica patria talem occupes locum, quo Perillustri Senatui Noribergensi re ipsa porro Virum commodum Justitiæque custodem strenuum Te præstare, sicque simul Honoratissimis Tuis Parentibus ingenti solatio ac lætitiis, imo in universum Splendidæ Tuæ Familiæ ornamento esse queas. Servet Te præterea salvum semper atque incolumem, secundet omnia cœpta Tua, ac beet Te reliquis bonis quibusvis, quæ Ipse in votis babes, largissime. Nibil de reliquo candidæ buic mentis meæ declarationi subjungo,* PRAENOBILISSIME DOMINE CANDIDATE, *nisi ut amore ac favore Tuo vel imposterum addictus mibi permanere, ac de me similiter omnimodam fidem ac nunquam intermorituram charitatem Tibi, si ita loqui licet, promittere velis. Vale.*

Dab. Altorfi. d. IV. April.
CIↃ IↃCC XXVII.

Forti-

FOrtiter heic miseros teneros defendis, *Amice*,
Innocuis præstas flentibus officium,
Hoc ipso reddis lætas hilaresque Camœnas,
Interque hos fletus dulcia Musa canit.
Sic honor ecce Tuus quando celebrabitur orbe,
Ex ore infantum gloria parta venit.

Pauca hæc, ut se suique memoriam Prænobilissimo atque Doctissimo Domino Candidato commendaret, apposuit

P. de Stetten, Oppon.

Da Du, werthgeschätzter Freund, heut auf den Catheder steigest,
Und von deiner Wissenschaft ungemeine Proben zeigest,
Ruft ein jeder, wer dich hört: Der verdienet, daß Ihn jetzt
Themis mit dem grösten Ruhm unter ihre Priester setzt.
Diesem füg ich wünschend bey: Lebe lang, bleib frey vom Leyde,
Zu des Vatterlandes Nutz und der Anverwandten Freude.

Mit diesem wenigen wolte gegen den Herrn *Candidaten* seine schuldige *Observance* glückwünschend abstatten

dessen ergebenster

J. P. Kirch, LL. C. Suevofurth. Franc. Oppon.

Was Carpzov, was Bynckershœck, Stieser und auch Noodt gelehret,
Das hast Du, Hochwerther Freund, viel vermehrt in eins gebracht,
Dieses siehet Themis wohl, und dieweil Du sie geehret,
Ehret sie dich wiederum, da sie diesen Schluß gemacht:
Dieser soll mein Priester seyn, und durch ein beglücktes Leben
Mir und der gelehrten Welt noch sehr viele Früchte geben.

Mit diesem wenigen wolte dem Herrn *Candidaten* sich bestens empfehlen

Dessen ergebenster

Joh. Georg Miller J. St. Ulma-Suevus, Oppon.

